

rei veritate fallunt. Confessio enim, contritio et lachryma in mortis hora effusa, ob varias rationes inutilis sunt. Quinimo ipse exteriores devotionis demonstrationes, quas inopi in morte sua praesefuerunt fallaces sunt. En itaque malos operarios, impios scilicet et tota die otiosos.

## VERSUS 7.

*Dicunt ei : Quia nemo nos conduxit ; dicit illis :  
Ite et vos in vineam meam.*

1. — S. Thomas, in *Math.*, per hos gentiles denotari existimat, qui falsa idolorum numina adorabant, ac demum excusationis loco se Prophetas non habere pretendebant, qui aeternas illis veritates annuntiarent, prout Hebraeis contigerat. Unde Psalmista, *Psal.* cxxvii, 20, ait : *Non fecit telleri omni nationi et iudicia sua non manifestavit eis.*

2. — S. Anselmus, *ibid.*, dicit : « Quid est ergo dicere, quia nemo nos conduxit, nisi quia vitae vias nullus nobis demonstravit. » Multi porro infideles, quibus nunquam praedicatum est Evangelium, imo multi Christiani quidem, sed solo nomine tales, qui docentium et praedicantium patiuntur penuriam, excusare quidem se hac ex parte poterunt, quo minus lumen et notitiam Dei, et ad salutem explicitè credendorum habeant : culpabiles tamen semper erunt, si naturali lumini recte rationis non fideliter corresponderint, siquidem verissimum est, quod dicitur, *Psal.* iv, 7 : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.*

3. — S. Thomas ad horam sese reflectens, in qua ad vineam vocati fuerunt, quae undecima erat et aetatem decrepiti praesignificabat, notat, quod merito dixerint : *Nemo nos conduxit* ; significatur enim, quod quibusdam non datur occasio reverendi ad Deum usque ad senium, quia omnia « tempus habent. »

4. — Idem sanctus Doctor aliam rationem his verbis adducit : « Vel potest contingere ex dispensatione divina, quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum : unde novit Dominus, quod, si ante vocasset eos, stetitissent : tunc ergo conducuntur, quando consentiunt et efficaciter magis resurgunt. »

5. — Bonus hic paterfamilias, ut argute Lucas Brugenensis notavit, audiens, quod culpam olii et negligentiae suae in alios conjicerent, ab ulteriori reprehensione, qua in illos invahere poterat, abstinent : « Culpam in alios conjiciunt, sed, ne turbet eos Dominus, quin potius ut alliciat, non ipsos reprehendit. »

6. — Possumus etiam hoc loco Dei erga nos benignitatem advertere, utpote qui nos tunc etiam ad sibi inserviendum invitat, quando ab omnibus aliis relinquimur et spernimur : *Quando nemo nos*

*conduxit* ; nullus enim adeo vilis, contemptus, atque ab omnibus desolatus existit, qui ad Deum se vertens suum in eo refugium et solatium non inveniat : *Non est qui se abscondat a calore ejus.* Imo quando homo mundo placere, omnibusque aliis praeter Deum servire, omnibus possibilibus modis quassavit, nec tamen intentum suum est assecutus, tunc Deus illum invitat ad se et benignissime recipit : *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, quod est otium illud, quod hic reprehenditur, prout in sententia Auctoris Imperfecti dictum fuit et ego refeciavi vos. Ite et vos in vineam meam.*

## ADDITIONES.

a. — *Dicunt ei : Quia nemo nos conduxit.* De more hominum culpam suam in alios referre volunt, quos tamen ulterius Dominus non reprehendit, sed allicet, et quamvis ultima diei hora esset, eos mittit in vineam. Ideo enim venia digni videntur, quod hucusque eos nullus allegerit ad vineam, nullas, inquam, habuerint gratias. Quas adepti, sine mora parent. Illi siquidem peccatores, qui surdi et in peccatis indurati sunt, Dei misericordia redduntur indigni, non vero qui ex fragilitate peccant et subito ad respicientiam vocati respondent. Obstinati peccatores apud Jeremiam, v, in hac verba reprehenduntur : *Percussisti eos, et non doluerunt ; atrivisti eos et noluerunt accipere disciplinam. Induraverunt facies suas supra petram, et noluerunt converti.* Porro S. Augustinus, in sermone xvii de temp., hanc tradit sententiam : « Non qui peccaverit, sed qui in peccatis perseveraverit, « odibilis et abominabilis Deo erit. » Enimvero repertiuntur nonnulli qui aliquam merentur excusationem et purgare se possunt ; quales fuerunt illi quos paterfamilias ultima hora ad laborem invitavit, qui dicebant : *Quia nemo nos conduxit.* Non enim fuerant efficaciter vocati, nec tot ad se convertendos habebant stimulos, quemadmodum multi alii.

b. — *Ite et vos in vineam meam.* Ergone adeo sibi Dens perplacet in constructione vineae suae, ut de summo caelorum fastigio descenderit, operariosque vocarit ad hanc vineam excolendam ? Vineae hae symbolum est animae justae, quam Deus summa cura et custodia semper prosecutus est.

c. — Ad laborandum nos in vineam suam vocavit Dominus, sed hac lege ut totus fructus inde redudans nostrum sit lucrum, nosque ex eo ditescamus.

d. — Videtur hic Dominus aliquo modo compulisse vocatos intrare in vineam suam etiam proposito praemio, cum tamen ab hoc labore in vinea Domini per praceptorum observantiam, justo titulo nullus possit excusare. Siquidem praeccepta Dei solo amore, qui omnia quantumvis aspera faciliat, suavia redduntur.

## VERSUS 8.

*Cum sero autem factum esset, dicit Dominus vineae procuratori suo : Voca operarios et redde illis mercedem suam, incipiens a novissimis usque ad primum.*

*Cum sero autem factum esset.*

1. — Cajetanus dicit : « In fine mundi, mercedis tempus describitur, ut non maneat opus mercenarii apud Patrefamilias usque mane. » Neque enim bonus ille paterfamilias pacti stipendii et mercedis laboribus debite satisfactionem diu differret aut suspendit, sed eodem die, mox ut hic ad vesperam declinavit, eandem expediri praecipit.

2. — Idem quoque eminentissimus Doctor ait : « Significatur tempus mercedis reddendae, quod singularis est in morte, universis autem in fine mundi. » Advertendum tamen est, quod, priusquam pacte mercedis expeditio fiat, necessum sit, ut omnes ad finem usque diei laborent, quia non sufficit, quod quis mane ad tempus aliquod, laboris quoddam principium faciat, nisi labor ad vesperam usque continueatur ; sola enim perseverantia est, quae coronari et remunerari meretur. Porro de nullo horum operariorum constat, quod aliquis illorum pacem mercedem ante vesperam postularit ; siquidem, ut S. Bernardus, *Serm.* vi de modo bene vivendi, scribit : « Incipientibus praemium promittitur, sed perseverantibus datur. » Et ideo quando nox mortis nostrae advenit, tunc et non ante, aeternam quis mercedem potest praetendere.

3. — Hugo Cardinalis dicit : « Sero reddit mercedem, non mane. » *Psal.* cxxvii. *Laborum manuum tuarum quia manducabis, beatus es et bene tibi erit.* *Prov.* xx, 21 : *Hereditas, ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit.* Lucifer ante laborem sedere voluit : *Sedebit in monte testamenti* ; et vesperam expectare noluit : *Lucifer, qui mane oriebaris* ; at vero in hac sua praesumptione Iupiter delusus fuit.

*Dicit dominus vineae procuratori suo : Voca operarios.*

4. — Lyranus ait : « id est, Deus Pater homini Christo, qui missus est ad procuracionem salutis humane, de quo Procuratore verba illa intelligere possumus, I *Petr.*, v, 7 : *Omnes sollicitudines vestras projicientes in eum ; quoniam ipsi cura est de vobis. »*

*Voca operarios.*

5. — Hugo dicit : « Hos Dominus vocat quatuor modis, scilicet per Sanctorum praedicationem, per beneficiorum largitionem, per internam inspirationem, per flagellorum correctionem. »

## Operarios.

6. — Hugo Cardinalis ait : « Fideles qui operantur instanter, ne tempus pereat, laetanter, ut opus Deo placeat, perseveranter, ut praemium aeternum accipiant. »

7. — Jansenius observat, quod tametsi remuneratione et solutio mercedis ultimis facta, spe ipsorum, aliorumque cooperatorum expectatione superior fuerit et major ; « nullis tamen merces datur, nisi qui operati sunt ; » non enim dixit : *Voca otiosos* ; sed *operarios* ; non sufficiebat, quod ad laborandum in vinea vocati, jamque eo fine eam ingressi fuissent, siquidem non vocato ad fidem, nec professio illius in immediato Ecclesiae gremio facta, nos aeterna retributione dignos efficit ; sed hoc dignus efficitur, qui conformiter ad id, quod credit, operatus fuerit.

*Redde illis mercedem.*

8. — Hic sollicitus paterfamilias ad videndum, qualiter operaris pro laboribus satisfaceret, praesens adesse voluit, ut obviam iret fraudibus, quae nunquam a malis ministris, in magnum boni nominis dominorum suorum praedictum, fieri solent.

9. — Lyranus dicit : « Illa merces bene intelligitur gratia, quia est quaedam inchoatio gloriae, cum gloria non sit aliud quam gratia consummata. » Porro certum est, quod omnia opera nostra Deo debeamus, quia servi ejus nascimur et sumus ; atque insuper quidquid nos in hac vita boni facimus, hoc totum effectus est gratiae ipsius : *Gratia Dei sum id quod sum : Non ego, sed gratia Dei mecum.* Unde etiam David, *Psal.* cxv, 12, dicebat : *Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi ?* Ideo etiam Salvator noster Apostolos suos, qui tantos in vinea Ecclesiae suae labores facere debebant, docuit, ut dicerent, *Luc.* xvii, 10 : *Servi inutilis sumus, quod debuimus facere, fecimus ; adeo tamen liberalis est Deus, eique labor noster adeo gratus existit, ut nobis pro illis meritis et mercedem amplissimam adscribit : id quod S. Augustinus, *Serm.* xiii, de verb. Ap., dicere coegit :*

« Misit Deus medicum, qui nos gratis sanaret, qui sanatis etiam mercedem daret. » Sufficere potuisset, quod nos ex pecuniari erga nos favore aditu in vineam suam dignatus fuerat, quodque nos lumine et notitia vere fidei illustraverat, atque a morte aeterna, ab inferni servitute et a tyrannide peccati redemerat : « Quis est qui dicat : sanem te et do tibi mercedem ? optime fecit ; sciebat se venisse divitem ad pauperes. Sanat aegrotos, sanatis donat et non aliud quam se ipsum donat. »

*Incipiens a novissimis usque ad primum.*

10. — Esto, quod novissimis eundem denarium

dare potuerit, quem primis dederat, mirum tamen est, cur insuper illos hisce in solutione mercedis anteponeat et præferre voluerit? Chrysostomus, in *Cat.*, ait: « Libentius aliquid damus illis, quibus « gratis damus, quia pro solo nostro honore damus. » Hi autem novissimi per datam mercedem honorabantur aliquo donativo, quam quod iis per justitiam satisfaceret, siquidem stipendium, eo modo quo primi minime videbantur fuisse lucrati. Unde Auctor Imperfecti, *Hom.* xxxiv, ait: « Certe ut ostendat Deus inastimabilem misericordiam suam, « primum novissimis indignioribus reddit mercedem, postea primis, nimia enim misericordia ordinem non asperit. »

11. — S. Thomas, in *Math.*, dicit: « Hoc potest « retorqueri ad ætatem sæculi, incipiens a novissimis, scilicet ab his, qui sacramentis imbuti sunt, « unde major gratia eis data est, quam primis. »

12. — Dubitari hoc loco potest, quomodo vere dici possit, quod novissimis, qui legis Evangelicæ fideles prænotabant, in fruitione beatitudinis primi fuerint, cum tamen Salvator noster post mortem ad lymbum Patrum descendens, animabus ibidem retentis, quæ utique ad antiquum, non vero ad novum Testamentum pertinebant, præmium visionis beatificæ impertitus fuerit? Ad quod pluribus potest modis responderi. Et primo quidem, quod hæc prioritatis non intelligatur quoad tempus, sed quoad alias excellentias et prærogativas; illæ namque animæ tametsi immaculate essent, per multa tamen sæcula, postquam a corporibus suis separatæ fuerunt, æternam mercedem præstolari debuerunt; non vero ita sit in lege gratiæ: in hac enim mox ut quis ad vesperam mortis pervenit, confestim ei paradisi aperitur. Præterea etiam dici potest, quod ideo in recipienda mercede primi fuerint, quia majorem acceperunt gratiam, quam in veteri lege data fuerit; gratia autem nihil est aliud, quam gloria inchoata, ut scholæ loquuntur: *Nos autem primitias spiritus habentes.* *Rom.*, viii, 23. Vel etiam gloriam possumus, quod primi sumus, eo quod nos post mortem et passionem Christi in cælo eminentiores gloriæ gradus possidemus, quam alii.

13. — Auctor Imperfecti, *Hom. cit.*, dicit: « Omnes, qui ante adventum Christi fuerunt, quasi « ex operibus facti sunt sancti, gentes autem ex « gratia. »

#### Additiones.

a. — *Cum autem sero factum esset*, etc. Variæ sunt diversorum Patrum sententiæ, quasnam hic sit vineæ procurator. Nos cum Origene, *Hom. x in Math.*, symbolice Angelos esse intelligimus, nec immerito, hi enim sunt procuratores animarum nostrarum, eorumque ministerio commissum est mercedis distribuere. Item bene dicitur: *Cum sero factum esset*, quia hi procuratores, Angeli videlicet, magnam hujus mercedis partem nobis solvant,

quando in fine vitæ nostræ, adversus dæmonem auxilia præstant.

b. — Bone dicit paterfamilias: *Redde illis mercedem*, nam per mercedem, juxta S. Paulum, significatur debitum quod solvitur ex justitia. Poterat enim gloriam dare gratis, sed vult meritam esse et lucratam: et Christus quidem regnum celorum nobis consignat, sed cum eodem onere quo ille ipsimum acquisivit, id est, sub onere multorum laborum. S. Bonaventura textum illum S. Pauli, II *Timoth.*, ii, 11, adducit dicentis: *Fidelis sermo, non si commortui sumus et convivemus; si sustinebimus et conregnabimus; et particeps in tribulatione et regno.* Et subdit: « Pater disposuit Filio quod perveniret ad « exaltationem per humilitatem sic et Filius disposuit nobis eodem modo. »

c. — Ordo postulare videbatur, ut a primis esset retributionis initium, quando primi plus laboris præstiterant. Cur ergo bonus paterfamilias ordinem immutat, et primo jubet remunerare eos qui vix una hora laboraverunt? Rationem pulchram assignat D. Gregorius Nazianzenus, *Orat. in S. Baptisma*; ait enim: « Illi non prius crederant, « nec ingressi sunt, quam ipsis ex conventa merces « constituta fuisset; hi, nulla conducti mercede, « ad laborem accesserunt. » Qui autem sine spe lucrati ad labores advolant, multum promerentur apud Deum; similesque in Dei se Ecclesiæ servitio desudantes, spiritibusque Deo, præmii loco, restaurare solet consolationibus.

d. — Glossa textum explicans: *Dicit Dominus vineæ procuratori*, etc., sic habet: Dicit Pater Filio; quia scilicet Pater omnia per Filium operatur et Filio dedit omne iudicium facere. *Joan.*, v, 22. Aptè igitur ad hoc propositum dicitur, adveniente Filio ut iudicet mundum, se ut vineæ procuratorem exhibebit, quando Electis reddet mercedem, eos advocando ad gloriam dicens: *Venite benedicti Patris mei.*

#### VERSUS 9.

*Cum venissent ergo, qui circa undecimam horam venerunt, acceperunt singulos denarios.*

1. — Cajetanus ait: « Ubi manifeste liquet gratia patrisfamilias, dans novissimis supra con- « dignum, significans Deum sic facientem ex sua « gratia; » adducitque boni latronis exemplum, qui in ultima hora vitæ suæ in hanc vineam vocatus primus fuit, qui hanc mercedem accepit. « Quod « enim alii sancti tot laboribus acquirunt, ipse statim ex amplissima gratia consecutus est. »

2. — Lucas Brugensis observat, quod per hunc loquendi modum insinuetur, quasi remuneratio, operariorum expectationem multum superarit: « Cum minimum fiderent viribus suis, solamque « expectarent Domini gratiam, denariorum, mer-

« eodem labori totius diei debitam, præter suam et « aliorum omnium expectationem acceperunt. »

#### VERSUS 10.

*Venientes autem et primi, arbitrati sunt quod plus essent accepturi, acceperunt autem et ipsi singulos denarios.*

*Venientes autem et primi, arbitrati sunt, etc.*

1. — Lyranus ait: « « Primi, id est, *Judæi*, qui a « principio legis date servierant, quia in primitiva « Ecclesia credebant, quod plus deberent habere de « Christi gratia, » imo Gentiles gratia Redemptoris indignos, illiusque incapaces esse existimabant. Alia quoque hoc loco faciendæ est consideratio, quam Paulus de Palatio habet, nimirum quod sancti Patres Veteris Testamenti longo admodum tempore laborarint; siquidem per multas ætates et sæcula vixerunt, cum nos contra dies nostros intra sexaginta et septuaginta annos ut plurimum terminemus, unde illos majoris retributionis sperandæ justam causam habuisse videtur. Et ideo S. Thomas S. Gregorium citat, dicentem: « Quia primi homines longiori tempore vixerunt, ideo gravius condus tulerunt. »

2. — Idem Angelicus Doctor circa primorum prætensionem sequens movet dubium: « Nonne « omnes æqualiter habebunt gloriam? Dico, quod « quantum ad aliquid par erit retributio, quantum « ad aliquid non; » et rationem reddit, quia retributio considerari potest, vel quoad objectum, et hoc in omnibus Beatis idem est; vel quoad participationem objecti, et in hac non omnes æquales erunt: « Quia non ita clare videbunt. *Joan.*, xiv, 2: *In « dono Patris mei mansiones multe sunt.* » Adducitque sequentem similitudinem: si enim plures ad flumen accedant pro aqua haurienda, elementum quidem unum-prorsus idemque inveniunt, ex quo tamen unus plus, alter minus hauriet, secundum majorem vel minorem capacitatem vasis, quod afferunt: « Sic qui habet animam charitate magis « dilatata, magis accipiet. » Unde S. Augustinus, *lib. de Virg.*, cap. xxvi, ait: « Omnibus datur vita « æterna, sed mansiones eorum multe sunt, honoratur enim unus alio clarius. »

3. — Utrum ex præcipuis fundamentis spei, quam hi operari habebant, erat, quod a mane usque ad vesperam laborassent: *Portavimus pondus diei et æstus*; hi autem multos præfigurant, quia in via Dei ambulantes, meritum gloriæ primario in austeritate ciliciorum, disciplinarum, jejuniorum, etc., in peregrinationibus, aliisque similibus rigoribus externis positum esse existimant, non intelligentes, quod hæc sint media, non vero finis et objectum sanctitatis et perfectionis; siquidem: « Qui habet animam magis charitate « dilatata, magis accipiet. »

4. — In hac occasione evidenter cognoscitur, quantum homo opera sua, quæ pro Dei gloria facit, æstimet et appetiat; siquidem majorem pro illis retributionem præterdit, quam revera illi debeat; ac proinde optimum est illud sancti Apostoli monitum, *Phil.*, ii, 13, 14, quod suadet, ne opera nostra tanti æstimemus, aut quidquam per eadem prætedamus: *Deus est enim qui operatur in nobis et velle et perficere, pro bona voluntate; omnia autem facite sine murmurationibus, ac proinde quamvis ipse sancte gloriari poterit, dicendo: « Abundantius omnibus laboravi; nihilominus tamen protestatur et ait, *Phil.*, iii, 13: *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse; unum autem, quæ quidem retro sunt, obliviscens, ad ea vero, quæ sunt præterita, extendens me ipsum.* »*

5. — Dionysius Carthusianus hoc loco querit, qua ratione Beati idipsum asserere potuerint, cum in tali statu sint constituti, in quo errare nequam possunt; præterquam quod insuper dici possit, quod in æterna beatitudine appetitus uniuscujusque adeo satiabitur, ut unusquisque gloriæ suæ gradu contentissimus futurus sit, ad quem per merita sua ascenderit? *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Respondet autem: « Illa æstimatio non « assertionis, sed opinionis: Sancti autem in « patria non pernoscent determinato, quantum « beatitudinis quilibet hominum electorum finis « liter obtinebit, nisi ex speciali causa ei divinitus « reveletur. »

#### Additiones.

a. — *Venientes autem et primi, arbitrati sunt, etc.* D. Chrysostomus, *Imperf. Hom.* xxiv, ait: « Ergo « non dolebant, quasi fraudati de mercede sua, sed « quia illi amplius quam merebantur acceperant. « Hoc enim est proprium invidiæ: quando aliquid « alteri additur, sic dolent invidi quasi aliquid sit « illis subductum quod illi est additum; ut puta, si « viderit aliquem ditiores, putat invidus se pauperem factum, et sapientior factus ita dolet quasi « ipse sit insipiens. » Hi alienam prosperitatem pro damno suo habebant: diabolica hæc est qualitas invidiæ. Hanc quoque malitiam S. Basilius, *Hom. de invidia*, ponderat his verbis: « Fertilis fuit vicini « agellis, abundat omnibus ad vitam hominis de- « gendam commodis domus, non deficient homini « animi voluptates: hæc omnia alimentum morbi « sunt et invidia doloris incrementum. » D. Chrysostomus ad Palestinorum tyrannidem contra Isaac, quæ legitur, *Genes.*, xxvi, 12, se recollectens ait: « Considera quanta illorum malitia qui et aquas « justo invident, et neque rex qui in tanta potestate « erat, invidiam continere potuit, sed dicit: *Abi a « nobis.* » Quanto enim ille cui invidetur, successu meliore profecerit, tanto invidus in majus incendium livoris ignibus inardescit.

**b.** — Isti primi operarii, qui dicuntur portasse pondus diei et aestus, communiter cum D. Gregorio, D. Augustino et aliis existimantur esse qui in prima mundi juventute floruerunt, ut Adam, Sem, Enoch et alii. Sed tunc vivebant isti cum aurea aetas mundum occupasset, omnia ubique erant in abundantia, absque ulla egestate; quomodo ergo, in tanta rerum amoenitate dicuntur isti portasse pondus diei et aestus, magnam scilicet pressuram ac laborem? Merito quidem. Nam inter tantam prosperitatem servare virtutem, valde difficile est; presentis enim vite prosperitates a Deo nos seducunt, et ideo magna est inter illas virtutem conservandi difficultas.

## VERSUS 11.

*Et accipientes murmurabant adversus patremfamilias, dicentes.*

**1.** — S. Anselmus hoc loco quaerit, quomodo operarii isti dici possint murmurasse, cum nec iste, nec alius qualicumque defectus Beatis attribui possit? « In premio suscipiendo nulla invidia, nulla erit murmuratio. » Respondet vero, usum in parabolis et in Scriptura obtinuisse: « Multos in collectione accipere et quaedam verba quibusvis personis congruere et quaedam aliis, non toti collectionis. Judei sunt illi, qui murmurabant. » Hugo Cardinalis illos fuisse existimavit, qui in exordio Ecclesiae primitivae ad legem Evangelicam conversi fuerant, hi enim quando etiam gentilibus ab Apostolis Evangelium praedicari viderunt, murmurabant; subdit nihilominus: « Usque dum sic ordinatum a Deo esse didicerunt. » Unde Albertus Magnus ait: « Murmur est ortum ex Judaeis, in Ecclesia primitiva, quando gentes figuram summi Regis acceperunt; tunc Judei dixerunt gentes canes esse immundos et non debere eis dari gratiam. »

**2.** — Quodsi vero per ultimos hosce operarios intelliguntur, qui in fine annorum suorum convertuntur, vel etiam gentes, quae ad fidem venerunt, prout Jansenius observat hisce verbis: « Intelligent dum est, tantam fere Dei gratiam erga gentes et eos, qui in fine vite suae incipiunt recte vivere, et ut hinc secundum humanum morem posset oriri aliqua indignatio; Neum tamen omnibus persuasurum, se nulli facere injuriam. » Imo ipsemet quoque David impius in hac vita adeo prospere agere prospiciens, *Psal. lxxxi, 3*, dicebat: *Mei autem molis sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, zeloci super iniquos, pacem peccatorum videns.*

**3.** — Theophylactus, *ibid.*, ait: « Non invident autem Sancti his, qui paria accipiunt; absit, sed ostendit hic, quod talia et tanta sunt bona, quae dantur justis, ut et invidiam excitare possint. » Cajetanus Christi adducit exemplum, hoc modo Patri supplicantis: *Transsest a me ceteris iste*; explicat

naturalem appetitum fugientem mortem, illudque horum murmuri applicat dicens: « Ita murmur « Sanctorum istorum explicat velocitatem majoris « glorie, secundum rationem infelicitem augurgen- « tem. »

**4.** — Dionysius Carthusianus ait: « Non est mur- « muratio turbationis, rancoris, vel impatientiae, « sed admirationis; dicuntur murmurare, quia de « magnitudine liberalitatis, pietatisque divinae, tan- « tum de premio dantis novissimis, ut eis, vehe- « menter mirantur. » Sic maxime admirationis motivum, fuit, videre, quod non Moysi, cui dictum fuit: *Ostendam tibi omne bonum*; non Joanni Baptistae, qui dixit: *Appropinquavit regnum caelorum*, non Petro, qui caeli claves habet; nec denique magne ipsius Matri, quae glorioso hoc titulo *Jomna caeli* honoratur, sed latroni alicui beatum illud regnum apertum fuerit, dictumque: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso*; adeo ut si status beatitudinis invidiae alienigeni aut murmurationis capax esset, secundum discursum humanum Sancti etiam eminentissimi super hoc bonitatis excessum murmurare potuisset.

**5.** — Glossa ordinaria, *ibid.*, dicit: « Quia anti- « qui Patres in infernum descendentes, a gloria « dilati sunt; quasi ergo post murmurationem « denarium accipiunt, qui post longa inferni tem- « pora ad gaudia pervenerunt. »

**6.** — Unde Hugo Cardinalis advertens, quod hi multos praesignificarent claustrales, hanc elicit moralitatem practicaem: « Qui, eo quod diutius fuerunt « in claustro, murmurant, quod sibi praepouantur « juniores, vel pares suunt. »

**7.** — Porro Nazianzenus, *Orat. in S. Bapt.*, quam irrationabilis murmuratio ista fuerit, aperte ostendit; siquidem hoc plus aliis laborasse, majoris mercedis loco computare debebant: « Illud dicam, hoc « ipsum impensius laborasse, majoris mercedis loco « habendum est. » Imo insuper ipsos non habuisse justum de modico labore praestito taxandi motivum, tametsi vineam suam non nisi unica duntaxat hora cultivarint, vel exinde demonstrat; siquidem hoc, quod est integro die expectare alicumque qui illos ad laborem conduceat, totumque diem contra genium et voluntatem suam in otio transigere, hoc ipsum, inquam, illis laboris loco computari debuisse; unde et ipsi dicere jure poterant: *Portavimus pondus diei et aestus*; nam ut Origenes, *Hom. x in Matth.*, in persona ipsorum ait: « Nos non portavimus pon- « dus diei et aestus, portavimus autem pondus, eo « quod stetimus otiosi, antequam paterfamilias « veniret ad nos, qui dixit: *Venite ad me omnes, « qui laboratis et onerati estis*; onus enim erat otio- « sitas ipsa et quod non judicabatur interim ad « opera vineae digni. »

**8.** — In hisce quoque murmurationibus nonnulli praenotantur, qui per prolixum mulorum annorum

## VERSUS 12.

*Hi novissimi una hora fecerunt et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et aestus.*

**1.** — Extra omnem controversiam est, hunc patremfamilias virum fuisse prudentem, valdeque circumspicuum, id quod ex multis sacri textus circumstantiis facile deducitur, quia quando primos operarios ad laborem invitavit, pactum stipendii cum illis fecit; similiter quando post hos, alios quoque ad laborandum invitavit, expresse iis dixit: *Quod justum fuerit, dabo vobis*; vix crepusculum justitiae advenit, cum ecce omnibus pactum stipendium in sua praesentia solvi jussit. Zelum quoque honoris Dei se habere probavit, dum otium omnis mali originem esse sciens, otiosos hosce, tametsi eorum opera non adeo magnopere indigeret, ad vineae suae culturam tamen vocavit, ut hoc pacto eos ab otio et malis illud subsequentibus abstraheret; ad haec expresse dixit: *Unus oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum*! Hac igitur illius bona conscientia et vite probitate supposita, merito dubitatur, cur ultimis parem cum primis mercedem dari jussisset: *Hi novissimi una hora fecerunt et pares illos nobis fecisti*, etc.

**2.** — Memorandum igitur, quod primi cum domino vineae, quoad mercedem dandum pactum inierant: *Conventione autem facta ea denario diurno; nomine ea denario convenisti mecum?* Ac prorsus si illos in pacta mercede defraudasset, justum ulique murmurandi motivum habituri fuissent; jam vero nullum habebant. Etenim Deus unicuique gratiam dat sufficientem, quanta scilicet ad ejus salutem necessaria est, majora autem auxilia nemini subministrare tenetur, quod si autem nonnunquam liberalior in erogando gratiae suae thesauro existat, id ipsum effectus est benignitatis ipsius, non vero meriti nostri stipendium.

**3.** — In hujus quoque mercedis caritate et qualitate nobis insinuare voluit, quod mercedem, quam a Deo accipimus, non operibus nostris, quantumvis illa multa et magna sit, sed bonitati et liberalitati ejus tribuere debeamus; tritum enim est illud axioma S. Augustini, quod scilicet *Deus coronat in nobis sua dona, non nostra merita*; et Apostolus, *Rom., ix, 15, 16*, protestatur, quod magnus hic paterfamilias ipsi quoque Moysi idipsum significaverit: *Moysi dicit, miserere, cui miserere; igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Deus.*

**4.** — Origenes, *Hom. x in Matth.*, se ad ultimum operariorum patientiam reflectit, quam habuerunt tota die expectando hominem, qui illos, ad laborandum alias promptos, vocaret et conduceret: « Reddidit eis mercedem pro eo, quod magnanimi « ter tota die steterunt et expectaverunt usque ad « vesperam conductorem. » Verum quidem, quod

decursum, Dei quidem servitio et obsequio perpetuo dediti fuere, sed magna cum negligentia et tamen se per servitii praestitum diuturnitatem, ingens multorum meritum diurnum fecisse credunt, tepiditatem suam minime considerantes, ideoque murmurant nonnunquam, quod similem gratiarum, donorum, consolationumque spiritualium abundantiam non receperint, qualem Deus multis elargitur, qui in devotione et spiritu magnopere effervescent.

**9.** — Glossa aliam quamdam considerationem his verbis exponit: « Non dolent, quasi fraudati « sua mercede, sed ritu invidorum, quod illi plus « quam merentur, accipiunt et non tam ipsi plus « accipere desiderant, quasi alterius consortio sibi « praemium minuat. » Cajetanus tamen de iisdem murmurationibus scribens, illos ab hac macula hisce verbis purgare nititur: « Non sunt invidiae « verba, sed rationis inferioris, detestantis parem « mercedem longe imparibus laboribus. »

**10.** — Glossa insuper credi posse existimat, quod ii, qui primo ad laborandum in vinea vocati fuerant, boni quidem fuerint, in sua tamen vel bonitate, vel prima industria minime perseverarint: « In principio quidem boni fuerunt, sed bonum « quod inceperunt, ad finem non perduxerunt; « unde non illi, qui denarium acceperunt, sed isti, « qui in bonitate non perstiterunt, premio privati « murmurant, quia denario carebant, qui in prin- « cipio boni. »

## Additio.

**a.** — *Et accipientes murmurabant*, etc. Conquerunt, sed injuste, ait S. Gregorius Nazianzenus. Hoc ipsum enim impensius laborare, uberius loco mercedis habendum est. Absit, ut qui in praesenti vita gravioribus premuntur aerumnis de divina lamententur providentia, ut non ferventius Deo potius serviant; quia nisi ambulaverint in medio tribulationis, non vivificabuntur. Tribulatio enim vitam gratiae ac plura alia bona nobis communicat. Regius Propheta, *Psal. cxxxvii, 7*, ait: *Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me*. Quem lectum Glossa exponit in hunc modum: *Si ambulavero in medio tui*; aliter non vivificat nisi in medio tui: unde *beati qui legent*. Non absimilem propositionem legitimus in Propheta Isaia, *xxxviii, 16*: *Corripies me et vivificabis me*. Rursus in Isaia, *xliii, 2*, legitimus: *Cum transieris per aquas, tecum ero et fumina non operient te: cum ambulaveris in igne, non comburens et flamma non ardebit in te*. Cujus apponit rationem: *Qui ego Dominus Deus tuus, sanctus Israel, Salvator tuus*. Deus noster ait: *Ego sum vita*. Si deat se nobiscum esse in tribulationibus, ergo sequitur etiam quod vivificabit nos.

invidi aliqui e primis operariis illis bene exprobrarint, quod non nisi unica hora tantum laborassent, sed ne verbo mentionem fecerunt afflictionis et patientiæ, qua tota die invitamentum ad labores æquanimiter expectare debuerunt.

5. — Advertendum quoque est, quod ad laborandum vocati, subito absque ulla resistantia, oblatum sibi laborandi occasionem acceptarint, ad eumque locum se sine ulla dilatione contulerint, ad quem laborandi causa destinati fuerant. Ita frequenter eventus multis, qui quod tardius ad Deum converterantur, excusare se apud Deum poterunt, eo quod citius vocati non fuerint: *non dedit voci suæ vocem virtutis*; ad primam tamen inmissam ipsius vocem responderunt. Ita Eusebius de bono latrone scribit: « Nec religionem ante, nec Christum scribit; « quodsi scisset, fuisset forsitan inter Apostolos non « postremus in numero, qui prior est factus in « regno; ergo etiam ex hoc in extremo placuit Deo, « qua ad consequendam fidem non fuit extrema « hora illa, sed prima. »

6. — Verisimile etiam est, quod hi ultimi in horæ illius spatio melius excoluerint vineam, vel saltem cum majori amore, fervore et affectu, quam primi fecerint, qui forte in labore remissiores fuerint et negligentes, utpote qui oculum suum magis ad mercedem accipiendam, quam in bonum et utile Domini servitium, debitamque vineæ culturam, directum habuerant. Unde S. Hieronymus, *lib. II, 14, ad Paulin.*, optime monet, dicens: « Noli fidem « pensare temporibus, nec me dicere meliorem « putes, quod prior in Christi exercitu cœperim « militare. Paulus Apostolus in vas electionis de « persecutore mutatus, novissimus in ordine, pri- « mus in meritis est, quia extremus licet, plus om- « nibus laboravit; subitus calor longum vincit « teporem. » Sunt etiam nonnulli, qui in exiguo tempore, quod illis ad penitentiam superest, Deo se totaliter consecrant. Unde S. Gregorius, *lib. XVII Mor.*, xxii, pariter de bono latrone ita scribit: « In cruce clavi manus ejus pedesque ligaverant, « nihilque in eo a penis liberum, nisi cor et lingua « remanserant; inspirante Deo totum illi obtulit, « quod in se liberum invenit. » Hi novissimi operarij magnam in eo displicentiam habuerant, quod ad laborandum citius vocati non essent; sed per ipsos non stetit, quia parati erant et ideo se excusant, dicendo: *Nemo nos conduxit*, quibus iisdem haud dubie valde doluit, quod post illorum vocationem, vespera et nox adeo velociter accelerarint. Quot Sancti sunt in cœlis, qui haud dubie, si ita divinæ fuisset beneplacitum voluntati, in hac vita libenter diutius laborassent? Numquid enim S. Martinus Deo dixit: « Domine, si adhuc populo tuo « sum necessarius, non recuso laborem? »

7. — Dionysius Carthusianus, *Serm. xciv*, ait: « Non enim respicit Deus principaliter ad laborem

« exteriorem, seu temporis diuturnitatem, sed ad « interiorem fervorem et rectam intentionem, cor- « disque munditatem, per quam homo sit capax « visionis divinæ essentialis. » Chrysologus dum de Magdalena, quæ velut publica meretrix, ad Christum ingressa fuerat: *In civitate peccatrix*; infra unius horæ, vel paulo minus spatium, ab eo egressa fuit ingens sancta, ipsomet, qui Sancto canonizat, attestante: *Dilexit multum*, dum, inquam, de hac sancta scribit, ita loquitur: « Con- « spicimus non solum caruisse peccatis, sed ad « totum sanctitatis verticem pervenisse. »

8. — Per hos quoque novissimos operarios, nos Christianos intelligendo, satis probabiliter dicere possumus, quod nos, de quibus, *I Joan.*, ii, 18, dicitur: *Filioli, novissima hora est*, pluribus annis in hac vinea laboravimus, quam qui antiquæ legis tempore vixerunt, longe enim majus meritum fides nostra habet, quam habuerit fides Hebræorum, cum altissima illa et imperceptibilia mysteria, quæ nos explicitè credimus, qualia sunt unitas essentialis et Trinitas personarum in Deo, Incarnatio Verbi, sacramentum Eucharistiæ, adoratio patibuli Crucis, etc., discursui naturali et sensibus incomparabiliter magis repugnent, quam quæ in veteri lege credebantur; præterquam quod post Christi adventum, Christiani in hisce et superioribus sæculis copiosiora et atrociora sustinerint supplicia et tormenta, aut tyrannorum persecutiones, quam olim in veteri lege tolerarint.

9. — Hic quoque alia quædam circumstantia consideranda venit, nimirum quod primi, qui murmurabant, fecerint pactum, deque stipendio cum patrefamilias convenerint, adeoque de lucro acquirendi securi fuerint; cui accedit, quod per hoc satis aperte insinuarint, quod propter solum denarii interesse et lucrum, non vero ob Domini obsequium laborarint; non sic alij et maxime hi ultimi, quibus patrefamilias convenerint, non minimam quidem mercedis aut stipendii dandi mentionem fecerant; hi enim totaliter in patrifamilias beneplacitum et discretionem sese resolverant. Unde facile colligitur, quam sint grati et accepti, quantumque a divina Majestate estimari mereantur illi, qui ei sine ullo proprio interesse inserviunt, ex eo solum motivo, quia Deus meretur, ut ipsi pro viribus serviamus, cæterum sese totaliter in divinæ ipsius voluntatis arbitrium remittentes, adeoque similes ancillis illis voluntariis, qui dominis vel principibus suis sine ulla provisione inserviunt, idque longe diligentius et accuratius, quam serri conductitij facere velint. Hi enim principum illorum, quibus obsequia sua præstant, gratiam et benevolentiam sibi longe æretius aliis conciliant; ex alia vero parte considerandum pariter est, quam se parum erga illos exhibuerit, qui se quoque parcos et avaros erga ipsam demonstrant; sunt enim nonnulli, qui nulla supererogationis

opera facere volunt, sed soli præceptorum observantiæ insistent, consilium adimpletionem horrentes, a peccatis solum mortalibus sibi cavere proponunt et nihil amplius, ideoque ad venialia *data opera* frenum sibi laxant.

*Pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et æstus.*

10. — S. Anselmus, in *Matth.*, ait: *Diu sub onere legis sudavimus*; siquidem, ut S. Leo observat, præcepta, quæ Hebræis data fuerunt, ad numerum sexcentorum tredecim ascendebant, partim ceremonialia, partim judicialia, partim denique legalia. Unde S. Thomas, in *Matth.*, ait: « Potest referri ad « Judæos, qui portaverunt pondera legis, de quo « ponderè dicit Petrus, *Act.*, xv, 10: *Quod neque nos, « neque patres nostri portare potuimus.* »

11. — S. Thomas per hoc pondus laboris, dilationem intelligit bestitudinis: « Spes, quæ differ- « tur, affligit animam; aliqui in principio mundi « fuerunt, qui portaverunt pondus, quia sciverunt « suam retributionem differri, ideo dicuntur por- « tasse pondus diei, » sub quo Psalmista, *Psal.* xli, 3, ingemiscens lamentabatur, dicens: *Quando veni- « mus et apparebo ante faciem Dei?*

12. — S. Anselmus dicit: « Longiora carnis « tentamenta sustinimus. » Theophylactus patres illos antiquos ante Christi adventum plus laborasse existimat: « Eo quod tunc nondum erat mors « soluta, neque diabolus contritus, sed adhuc vive- « bat peccatum; » nos autem per sacrum Baptis- « matis lavaerum regenerati, ad resistendum et super- «andum adversarium nostrum antiquum, jam dudum a Christo prostratum et debellatum, efficacioribus gratiæ auxiliis muniti et provisi sumus.

13. — Paulus de Palatio similiter eam, quam Hebræorum populus in lege scripta habebat ad virtuose operandum, difficultatem considerat, dicit enim: « Illi carebant sacramentis conferentibus « gratiam et juvenibus contra laborem; nos contra « sacramentis reficimur. Item minori illi ornaban- « tur gratia, minoribusque Spiritus Sancti viribus, « quam nostri; demum minoribus illi, quam nostri, « stimulabantur virtutum exemplis. »

14. — Verum enimvero omnibus hactenus dictis opponi posse videtur, quod potius nos hoc Novi Testamenti tempore dicere possumus, quod per nulla sæcula portavimus pondus diei et æstus, in tot nimirum persecutionibus, exiliis, facultatum jacturis, suppliciis, aliisque innumeris ærumnis, quas olim in primitiva Ecclesia et etiamnum sustinimus et sustinemus; cum e contra Patriarchæ antiqui in bonis temporalibus prosperati longissimo tempore vixerint; at vero hæc ipsisima est ratio, quam Actor Operis Imperfecti in favorem opinionis suæ adducit. Dicit enim, *Hom.* xxxiv: « Tunc « mundus in juventute constitutus, omnibus bonis

« prosperabatur et felix erat; nunc autem mundus « senescens omnibus adversitatibus premitur et « ideo concupiscibilis non est; qui ergo tunc fue- « runt homines, cum majori difficultate justitiam « servaverunt, quia ipsa felicitas mundialium « rerum, satis impedimentum est animæ ad justi- « tiam faciendam. » Longe facilius erit fidelibus in catacumbis et speluncis, persecutione oppressis, sanctitatem acquirere et conservare, quam in throno Ecclesiæ, mitræ ornamentum in capite, pedi vero pastoralis manu gerentibus, ab omnibus reverenter honoratis et cæremontiarum splendoribus coruscantibus.

15. — Enim vero ex alio quoque capite dici potest, illos indecore mentitos fuisse, labor enim, quem exercebant, illis gravis esse non poterat, quando de mercede habenda securi erant. *Conventione autem facta ex denario diurno*; ipsa etenim quotidiana experientia nos docet, quod sudores minus sentiantur, vel saltem libentius et alacrius tolerentur, quando adest certitudo retributionis; alij hanc spem non habebant, novissimi nimirum, quibus de mercede ne verbo quidem facta est mentio. Magnum utique etiam in hujus vite adversitatibus ærumnantibus est solatium, quando illas sustinens, pignus in manu habet æternæ retributionis. Unde Tertullianus de sæculi Martyribus ita scribit: « Nihil erus sentit in nervo, dum ani- « mus est in cælo. »

## VERSUS 13.

*At ille respondens, uni eorum dixit: Amice, non facio tibi injuriam, nonne ex denario convenisti mecum?*

1. — Dionysius Carthusianus ait: « Aliquid tibi « injuste subtrahendo, ob hoc quod alium juxta « condignum glorifico et tibi in mercede parem « facio. »

2. — Lyranus, *ibid.*, ait: « Quia injuria non « habet locum, ubi est mera gratia, et ideo fiet « gratia, cuicumque voluerit, non faciet alicui « injuriam. » Cum enim gratia meritum præcedens non supponat, Deus in danda gratia absolutus est Dominus, et præcisæ gratiæ sufficiente, quam nulli negat eaque se plus vel minus liberalem exhibere poterit, erga quemcumque voluerit. Numquid ingens esset hominis illius stultitia, qui post transactam vitam lubricam et licentiosam in fine amorum suorum doleret et murmuraret, quod sibi a Deo non sit data contritio adeo fervens, ac fuit illa boni latronis? Numquid talis impertiens murmurator meretur audire: *Non facio tibi injuriam, tolle quod tuum est?* Deo quidem complacuit spatium penitentis Manasse concedere, quod tamen filio ejus minime indulsit, et tamen de eodem Deo Spiritus Sanctus scribit: *Bene omnia fecit.*

Sanctus Apostolus de Deo nostro velut de figulo quodam loquens, Rom., ix, 20, 21, ita scribit: *O homo tu quis es, qui respondens Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus tui ex eadem massa facere aliquid quidem vos in honorem, aliud vero in contumeliam?*

#### ADDITIONES.

**a.** — *At ille respondens uni eorum dixit: Amice, etc.* Ecce cum eum corripit et emendat amicum vocat. Correctio enim veri amici nota est utpote quæ ex motivo charitatis procedere debet. Item amicum vocat murmuratorem, quia fructuosa ut sit correctio, cum mansuetudine temperanda est.

**b.** — Plures sunt qui hunc denarium, ex SS. PP. et Interpretum summatis, singulis operariis tributum, vilam æternam, id est, beatitudinem interpretentur. Unde ab iisdem hæc obmurmuratio, quæ vitæ æternæ meritum non excussit, leve censetur delictum, eo quod dignitatem ad beatitudinem non excludat. Hinc non levis exurgit difficultas, quo pacto hic inconsultus obmurmurator, ad quem dirigitur sermo, ex ore Dei, quem hic paterfamilias representat, austerum hoc verbum audiret: *Tolle quod tuum est et vade.* Quid est, *vade*? A se Deus ablegat, quem merito beatitudinis numeratum videt? Quasi rejectaneum a se dimittit quem ore amicum vocat, et tam opulento meritorum denario munerat? Scilicet, quam grave malum sit veniale etiam peccatum docet, cujus gravitas, ex poena damni et sensus, qua Deus illud in altera vita castigat, perspicue colligitur.

**c.** — Hugo ex S. Hieronymo ait: « *Vade*, id est, « persevera in adepta justitia. » Sic eget austeria hæc objurgatione et gravi ad gratiæ perseverantiam admonitione, qui accepto etiam denarii merito et Dei amici glorioso vocabulo, leniter delinquere non veretur. Nam multiplex leve delictum, si non excussio, gratiæ titubatio est, dum ad grave peccatum haud leviter disponit. Unde S. Augustinus: « Minuta peccata, si negliganter, occidunt: minuta « sunt guttæ quæ lumina implent. »

#### VERSUS 14.

*Tolle quod tuum est, et vade; volo autem et huic novissimo dare, sicut et tibi.*

**1.** — Paulus de Palatio ait: « O verbum omni « miraculo majus! » Demum vero animam quamdam sanctam et justam interrogat: *Quidnam tuum est?* citatque quamdam S. Augustini sententiam dicentis: « Fecit Deus hominem, ut amando, summum bonum possideret; est ergo Deus possessio « hominis. » Deus enim totus factus est noster, nostraque possessio, adeo ut sancta Mater Ecclesia in hymno quodam ita canat: « Se nascens dedit « socium, convalescens in edulium; se moriens in

« pretium, se regnans dat in premium. » Unde idem Auctor dicit: « Gauderes, si tuus esset orbis, « gaude quod tuus sit Auctor orbis. »

**2.** — Dicitum istud, *Tolle quod tuum est, et vade*, illis quoque adaptari potest, qui nonnunquam illorum volunt esse censors, quibus ex officio inenumbit illos vel instruere, vel in vita et moribus dirigere et moderare; quodsi enim doctrina quam tales tradunt, monitum quod subministrant, aut præceptum quod tales imponunt, a vero et ab honesto non recedat, non est quod curiosius in hoc inquiratur: hoc enim nihil nos atinet facere, hoc solum inde nobis capiamus, quod in eo fructuosum est; sic enim quoad medicum non sumus solliciti, an bene vel male pharmaca præscribat, dummodo diata, quam nobis præscribit, aut medicina quam ordinat, salutifera nobis sit.

#### VERSUS 15.

*An non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?*

*An non licet mihi quod volo facere?*

**1.** — Jansenius, cap. ci *Concord.*, super hæc verba scribens, doctrinam quamdam adducit, per quam errorem quemdam nobis eximit, quo alias ex hisce verbis facile imbuti potuissemus. Dicit ergo: « Non ut intelligamus magis a Deo coronandus, qui minime sunt operati, sed quod in illos « Deus benignior sit futurus, qui gratiæ ipsius « magis confisi de operibus suis minime confidunt, « illos autem illius gratiæ, qua vitæ æterna datur, « fore expertes, qui tantum in propriis confidunt « operibus. »

**2.** — Paulus de Palatio optime considerat verba illa: *An non licet mihi quod volo facere?* bene quidem ex ore Dei prolata sonare, at vero vix nobis, si e nobis quispiam, cujuscumque demum conditionis ille sit, eadem sibi usurpare volerit: « Totum orbis damnus est quod putat sibi licere « quod vult; solius Dei est licere ei quod vult, eo « enim quod vult, licet; nostrum est, ut solum « liceat, quod Deus vult. »

*An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?*

**3.** — Glossa ait: « Vero Judei pravam intentionem habuerunt, qui prohibuerunt Apostolis, « gentibus loqui, ut salvæ fierent. » Idipsum quoque S. Remigius scripsit, siquidem per oculum intentione denotatur, si *oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit*; intentio autem Judaismi contra Gentilismum pessima erat. « Ad « quid autem sensus hujus parabolæ tendat, » inquit S. Remigius, « manifestatur, cum subditur: *Si « erunt primi novissimi et novissimi primi, eo « scilicet, quod Judei de capite vertantur in caudam et nos de cauda mutantur in caput.* »

**4.** — Hoc quoque dictum valde congrue adaptari potest illis, qui ex bonitate et longanimitate Dei occasione sumunt in malitia sua persistendi, sumque de die in diem procrastinandi penitentiam. « Absit, » inquit Tertullianus, *de Penit.*, « ut « redundantia clementiæ celestis libidinem faciat « humanæ temeritatis; nemo idcirco deterior sit, « quia Deus melior est. »

**5.** — Porro per nequam hunc et malignum oculum, invidus intelligitur; unde Chrysostomus: « Non dolebant quasi fraudati de mercede sua, sed « quia illi amplius quam merebantur acceperant; « sic enim dolent invidi, quando alteri aliquid « additur, quasi eis subtrahatur. » In Hebræo idem est *invidus* quod *nequam oculus*. Unde S. Bernardus, *Serm. xiii, Suppl.*, ait: « Nosse cupis oculum basilisci venenatum, oculum nequam invidum cogita. »

#### ADDITIONES.

**a.** — *An non licet mihi quod volo facere?* etc. Rigidior videtur quam par est et laboribus indigna increpatio. Porro nemo nescit quanto aliter patres, aliter matres filiis indulgeant: illi exercitari jubent ad studium mature obeunda, feriatis quoque diebus non patiantur esse otiosos; et sudorem illis et interdum lachrymas excutiant. Acri admonitione vel leves defectus personant, ne cum ipsis adolescant. At matres fovere in sinu, continere in umbra volunt, nunquam flere, nunquam admonitione contristari, nunquam objurgatione, vel castigatione exasperari. Paternum Deus habet adversus bonos viros et probos anticum; maternum adversus impios et peccatores. Illos fortius amat et erumnis, et reprehensionibus, et damnis exagitat. His prosperitates et mundi voluptates indulget. Porro marceat sine correctore virtus, nec fert ullum ictum illæsa felicitas que proinde sibi de præteritis blanditur, ad præsentia mollescit, et sibi de futuris votive adulatur. Dentato objurgationis ferro, cognata omnibus vitia eliminantur, ut malitia detrimentum sentiant ne paulatim insolens frenum emendationis excutiant. Materna indulgentia, aut insolentes invenit aut fecit. Pulchre itaque Septimius, *lib. de Patientia*, xi, ait: « O servum beatum illum, cujus emendationi Dominus instat, cui dignatur irasci, quem « admonendi dissimulatione non decipit: quem « enim diligit Dominus, corripit et quasi pater in « filio complacet: beatus homo qui invenit sapientiam. » Sedulo laboraverat in vinea Domini servus; portaverat pondus diei et æstus; bonus extiterat vinitor et post laborem, laudem et requiem merebatur. Sed æstus corripitur, compassione dignus, qui solum leviter murmuraverat. Sed frustra consolari festinamus, cui potius ire gratulatum de dignatione divini correctionis, quæ omne bonum et æternam felicitatem spondet. Impunitas enim et peccatorum prosperitas in hac vita, infallibile Dei

irati et indignantis iudicium est, et æternæ perditionis signum.

#### VERSUS 16.

*Sic erunt novissimi primi et primi novissimi; multi enim sunt vocati, pauci vero electi.*

*Sic erunt novissimi primi et primi novissimi.*

**1.** — Cajetanus, *ibid.*, advertit conclusionem istam, responso S. Petro dato, optime quadrare, scilicet quod non propter id quis subito felicior futurus sit, quia plus dereliquit: « sed quem gratia Dei priorem constituet; » notandum enim est, hanc parabolam eo præcipue fine ordinatam fuisse, ut Ecclesiæ suæ Christus manifestaret, « quod gratia Dei absque justitiæ præjudicio non « datur secundum opera, labores, temporalia bona « et similia, sed secundum divinam voluntatem. »

**2.** — S. Anselmus Christum hoc loquendi modo dicere voluisse existimat quod, sicut Judæos, qui antea summo in pretio apud Deum erant, in tantum contemptum redactos videmus, ut sint Iudibrium et opprobrium omnium hominum; Gentiles vero, qui ante ob idololatriam suam adeo abominabiles fuerant, honoratos, et in Ecclesiæ sanctæ sinu benigne receptos esse conspicimus; ita quod eadem illis evenire possit, qui modo in mundi oculis passim contempti et abjecti, vilesque habentur.

**3.** — Denique ex hac propositione perspicue colligitur, quam sit humanum iudicium fallax; siquidem sæpe fit, quod ii, quos nos primas in cœlo sedes occupare credimus, ultimas omnino teneant; e contra vero quod ii, quos vix inter ultimos locum habere existimamus, futuri sint primi; neque enim ad interiora videnda penetrare possumus, præterquam quod divina gratia absque ullo divinæ justitiæ illato præjudicio, omnia possit: *An non licet mihi quod volo facere?*

*Multi sunt vocati, pauci vero electi.*

**4.** — Lyranus ait: « Ad fidem Christi per legem « et Prophetas electi pauci, quia de Judæis pauci « comparative crediderunt in Christum. »

**5.** — S. Thomas verba hæc interpretatur de Gentilibus ad fidem conversis, e quibus pauci salvantur, citatque, in *Cat.*, auctoritatem S. Gregorii, dicentis: « Ad fidem enim plures veniunt, et ad « cœlestem regnum pauci perducuntur, plerumque « enim Deum vocibus sequuntur, moribus fugiunt. » Unde sanctus Doctor duo documenta deducit. Primo, cavendum nobis esse, ne unquam de nobis presumamus, quia tametsi ad fidem vocati simus, attamen an ad numerum electorum aggregandi simus, ignoramus. Secundum est: « Ut unusquisque proximum suum, quem jaceret « in vitis conspiciet, desperare non audeat, quia

« divina misericordiae divitias ignorat. » S. Thomas super Matthaeum scribens, inter esse *vocatum* et esse *electum* his verbis distinguit : « Quia qui fide credunt, omnes vocati sunt; sed illi electi, qui bona opera faciunt, et isti sunt pauci; » ac proinde S. Petrus, I, v, 10, salubriter nos monet, dicens : *Magis satagite, ut per bona opera, certam vestram vocationem faciatis.*

6. — S. Lucas, XII, 23, refert Salvatorem de numero salvandorum interrogatum fuisse : *Aut illi quidam : Domine si pauci sunt, qui salvantur? Ipse autem dixit ad illos : Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quarent intrare, et non poterunt.* Paulus de Palatio super illa verba : *Ascendente eo in naviculum, vocem naviculam considerat et scribit : « Sicut elegantissime dicta navis « est vite christiana, quae ad portum salutis affert, « ita horrendae et lachrymabiliter dicta navicula est. « Utinam navis grandis et nimium capax fuisset,*

« sed navicula est, arcta est, brevis est, quia pauci « sunt qui intrant per eam. » Ex parabola de decem virginibus deduci posse videtur, medietatem animarum salvandam esse, siquidem quinque illarum ad caelestis sponsi nuptia ingressae fuerunt; veritatem Cajetanus in ea est opinione, quod haec parabola non sit intelligenda de omnibus illis, qui baptismali characterе insigunt, sub Christi signis christianae militiae sunt adscripti, quia quoad multos opera perditionis ipsorum sunt manifesta; sed solum de iis Christianis quos, quod apparentiam externam, de electorum numero esse credimus, et de his Salvator vix medietatem de salute sua securam esse dicit : « Parabola ista tractat non de « omnibus Christianis; nam multorum extrinseca « opera manifeste sunt mala, sed de illis tantum, « qui profitentur se studere factis ad continuum « progressum versus patriam coelestem. »

## DOMINICA SEXAGESIMAE

EVANGELIUM LUC., CAP. VIII, VERS. 4

4. Cum turba plurima convenirent, et de civitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem :

5. Exiit, qui seminat seminare semen suum; et dum seminat, aliud cecidit secus viam, et conculcatum est, et volucres caeli comederunt illud.

6. Et aliud cecidit supra petram, et natum aruit, quia non habebat humorem.

7. Et aliud cecidit inter spinas, et simul exortae spinae suffocaverunt illud.

8. Et aliud cecidit in terram bonam, et ortum fecit fructum centuplum.

9. Haec dicens clamabat : qui habet aures audiendi, audiat.

10. Interrogabant autem eum discipuli ejus, quae esset haec parabola ?

11. Quibus ipse dixit : Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant.

12. Est autem haec parabola : semen est verbum Dei.

13. Qui autem secus viam, hi sunt, qui audiunt, deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant.

14. Nam qui supra petram, qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum, et hi radices non habent, qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.

15. Quod autem in spinas caecidit, hi sunt qui audierunt, et a sollicitudine, et divitiis, et voluptatibus vitae, euntes suffocantur, et non referunt fructum.

16. Quod autem in bonam terram, hi sunt qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia.

Versus 4.

*Cum turba plurima convenirent, et de civitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem.*

*Cum turba plurima convenirent, etc.*

1. — « Non omnes eadem voluntate, » inquit

Glossa : « quidam pro bono, quidam pro malo, « omnibus tamen Dominus beneficia praestat, do- « cendo, alendo, sanando. » Dionysius Carthusianus aliquos ex curiositate ad ipsum audiendum accessisse putat, alios vero ex malitia, ut ei insidiarentur. Rabanus addit, multos propter interesse

proprium ipsum secutos fuisse, ut scilicet ab eo pascerentur, eo quod panem aliquando per mirum miraculum multiplicasset; alii denique, propter miraculorum novitatem.

2. — Experientia satis hoc bacchanaliorum tempore testatur, quod quo tempore Deus a majori Christianorum, dissolutione hujus temporis consecantium, parte misere deseritur, multi nihilominus timoratam conscientiam habentes, in ejus secula hisce diebus magis quam anquam effervescunt.

*Dixit per similitudinem.*

3. — S. Bonaventura, *ibid.* in *Luc.*, Christum, velut sapientiam aeterni Patris increatam, prudentissime hac similitudine parabolica usum fuisse notat : « Per apertas res, quibus assueti erant, et « ideo ad audiendum cum desiderio propera- « bant. » Auditores gens variis necessitatibus assuefacta erant : *Cum turba plurima convenirent* ; ac proinde varias illis proponebat parabolae : « Attra- « hebat auditores, commiscens parabolae de area, « de vinea, de agro ; » multum enim interest, si concionator ad sphaeram capacitalis et gustum auditorum suorum adaptare se norit.

Aditio.

a. — *Cum turba plurima convenirent et de civitatibus properarent ad Jesum, dixit per similitudinem, etc.* Parabola hac Dominus declarabat finem, ob quem venerat in mundum, qui erat praedicare et docere fidei doctrinam; unde sibi ipsi nomen seminantis imponit, quia ei proprium est, fidei doctrinam seminare in corde. Veritas enim fidei solius Dei opus est. Ipse est qui aedificavit Ecclesiam suam super petram et portae inferi non prevalebunt adversus eam.

Versus 5.

*Exiit, qui seminat, seminare semen suum, et dum seminat, aliud cecidit secus viam, et conculcatum est, et volucres caeli comederunt illud.*

*Exiit.*

1. — Theophylactus ait : « Exiit non loco, nam « ubique est, sed secundum illud quod propior « nobis est per carnem dicitur egredi et finibus « paternis. » Idem quoque super vocem *Exiit* notavit Cajetanus, *ibid.*, dum ait : « Exiit, quia « exivit a Patre et venit in mundum. » Salmeron hunc egressum excessui amoris ipsius erga nos attribuit : « Dicitur exisse ob ingentem vim amo- « ris ad exitum compellens; omnis enim amor « amantem extra se in re amata collocat. »

2. — Quodsi per hunc seminatore Verbum increatum seu Sapientiam Patris intelligatur, ingenti cum mysterio ad seminandum hoc semen, e coelo et sinu Patris exire dicitur, ut per hoc innuat, quod

ad hoc, ut Verbum Dei et Sapientia Patris in auditorum cordibus fructum afferat, necessum sit ut is, qui Verbum illud, seminat illud divinum seminat, homo sit adeo justus et sanctus ac si de coelo ipso egressus fuisset.

*Qui seminat seminare.*

3. — Salmeron, venerabili Beda duce et auctore, observat quod Christus eadem die qua parentes illius predicationem ejus interrupperat, quaque varias a Pharisaeis blasphemias toleraverat, hanc parabolam juxta mare proposuerit, « ut intelligas, « adversus bonitatem Dei nihil potuisse malitiam, « quo enim Christum Pharisaei plus calumniaban- « tur et infestabantur, eo minus turbæ ab eo rece- « debant. » Praeterea ex hoc Evangelio, quod in praesenti bacchanaliorum tempore legitur, deduci potest, quod tametsi hoc tempore potius quam in totius anni quovis alio, majoribus afficiatur injuriis et opprobriis, ob hoc tamen ab annuntiando verbo suo, ad assistendum nobis in sacramento Eucharistiae, in orationibus solemnibus, ad alia nobis subministranda auxilia spiritualia nequaquam desistat, ut a praesentibus nos dissolutionibus divertere possit; in multis quoque bonis et devotis animabus clare videtur, quod, quanto magis a mundi torrente offenditur et derelinquitur, eo minus ab eo recedant.

4. — S. Hieronymus, in *Matth.*, ait : « Signifi- « catur, satorum istum, qui seminat, esse Filium « Dei, et Patris in populis seminare sermonem. » De hoc agricola Theophylactus pariter scribit, in *Luc.*, quod semen suum nostris inserere animabus nunquam cesset : « Non enim solum quando vide- « tur docere, sed et per mundum istum, et per ea « quae quotidie facit erga nos, seminat in anima- « bus nostris bona semina. » Salmeron, *ibid.*, notat quod, sicut idemmet Filius Dei, Redemptor noster et redemptio, lex et legislator, sacerdos et hostia dicitur, ita quoque sator et semen appelletur; siquidem Evangelium in sua substantia nihil est aliud quam ipsemet Christus incarnatus, natus, evangelizans, mortuus et a mortuis resurgens, etc.

5. — Semen manu spargitur, quae primo illud pugno stringit, priusquam in terram dispergat. Unde Didacus Stella, in *Luc.*, ait : « Seminatio « manu seminat, ita quoque tu manu et opere « optime praedicabis; » atque ideo idem Evange- lista de hoc eodem seminatore scribit : *Capit Jesus facere et docere.*

6. — Quodsi quis esset, qui nullam haberet agriculturæ notitiam aut experientiam, is utique videns, quod frumentum, quod ad faciendum panem caro pretio emitur, postea in terram projiciatur, hanc stultitiam meram esse crediturus esset; simili quoque stultitia nonnulli homines laborant de quibus textus ille Apostoli intelligitur : *Animalis*